

pesi ordinati, e prescritti dal defonto Domenico Clerichetti, ed annessi alla di lui eredità, e beni ereditari, cioè lo stipendio de due Capellani le supellettili dovute alla Chiesa per le due Messe quotidiane, e di pagare scudi dieci in ogni anno in mano dell' Administratore pro tempore di detta eredità. Additum in chirografo fuit: Esembrato a Monsignor Vescovo, che lo statto attivo di detta eredità possa fissarsi in annui scudi 252. 66. dal quale si deve detrarre l'essito annuo, che considerata con li medesimi supposti puo essere, e considerarsi in annui scudi 160.

Hinc Sindacus sive Administrator et Fratres Clerichetti Emphitheutae alter in alteros rejiciebat onus solvendi augmentum eleemosinae Missarum et utensilium. Quare Capellani preces huic S. Congregationi dederunt, ut alteruter sive Administrator sive Emphitheutae compelleretur ad augmentum hujusmodi. Eminentissimus Archiepiscopus Firmanus, cujus sententia rogata est, refert rationes a Clerichettis deductas inferius recensendas et affirmat S. Congregationis mandato parens competentem terminum unius Mensis eisdem Fratribus praefixi ad deducendum jura in S. Congregatione. Negant Fratres Clerichetti se teneri ad augmentum eleemosinae, quia ipsi sponderant quidem di sodisfare tutti e singoli pesi ordinati, e prescritti da Domenico Clerichetti, ed annessi alla di lui Eredità e beni Ereditari, sed tamen in taxativa summa scutorum 160. Aliter enim annuus Canon augetur contra legem chirographi. Verum ipsi non susceperunt taxativam obligationem solvendi annua seuta 160 pro oneribus haereditariis, sed implendi onera haereditaria, sive exitum, che considerato con i medesimi supposti puo essere, e considerarsi in annui scudi 160. Non itaque videtur taxa-

tiva sed demonstrativa eorum obligatio. Sed Capellani pro augmento eleemosinae Missarum habent obnoxia bona haereditaria, quae a Fratribus Clerichetti retinentur et ea persequi possunt.

Dubium est:

An et a quo sit praestandum augmentum eleemosinae Missarum et utensilium in casu?

S. C. resp.: Affirmative a Fratribus Clerichetti Emphitheutis.

Die 8. Augusti et 15. Septbr. 1804.

4) Capsa.

Vd.: *Stipend.* (num acceptatio licita etc., decr. Innoc. XII.; liber.) *Tabella* (missar. conscrib.); *Stipend.* (quaestuatio in eccles. etc.)

Ord. Min. Observ.

(Conc. Tr. C. 1—3. Sess. 25. De Regul.)

Quemadmodum probos decet Religiosos, cupientes hujus Ordinis Patres non minus eorum Regulae puritatem custodire, praecipue circa paupertatis Volum tantopere a s. Fundatore inunctum, quam apostolicis jussis obtemperare, humillime expedierunt hujus S. Congregationis oraculum super declaratione emergentis casus, qui est ejusmodi. Urget ex una parte novissima Constitutio s. m. Innocentii XII. super celebratione Missarum, quae incipit: *Nuper*, decreto irritanti et clausula sublata, nec non cum derogatione expressa omnium Constitutionum apostolicarum et Statutorum Ordinis tam Mendicantium atque consuetudinum immemorabilium, quae inter alia provide decreta demandat retentionem Capsularum pro Missis celebrandis per haec verba: *Debeant ulterius Regulares praedicti omnes et quascunque eleemosynas, tum manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in Capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo conventuali de-*

putandum retineatur ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram Patribus Discretis seu Consiliariis vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

Obstare ex alia parte videntur hujusmodi Capsae retentioni bina Decreta, alterum editum in Generali Congregatione Cismontanae familiae habitata in Conventu Araeoceli anno 1615 relatum in tom. 3. Orb. Seraph. p. 613, alterum vero per eadem verba conceptum itidem in Generali Congregatione in eodem Conventu celebrata anno 1628 coram cl. mem. Card. Gypsio a s. m. Urbano VIII. specialiter Delegato, recensitum quoque in tom. 4. ejusdem Orbis Seraph. pag. 11., quod et pariter eorundem verborum textura, relatum reperitur post Constitutionem: *Injuncti nobis* praeaudati Pontificis 49. in ordine Bullar. tom. 4. sub dato 14. Junii 1628 et publicatum die 15. ejusdem mensis et anni, ibi: *Capsae vel Trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias, etiam pro Missis oblatas, non solum ab Ecclesia sed etiam a Sacristia et a quacunque parte, quae sit intra clausuram Conventus, omnino prohibentur sub poena inobedientiae et excommunicationis majoris: oblatae autem eleemosynae pro missa nullo modo intra Clausuram Conventus aut intra Ecclesiam vel Sacristiam ab aliquo recipi permittantur, sed ad Syndicum apostolicum offerens remittatur, quod si id grave illi fuerit et voluerit Tertiario vel Servitori Conventus tamquam Syndici substituto illam tradere ut ad Syndicum ipsum ejus nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, ut intra Claustra Conventus aut Ecclesiae nec Tertiarius nec Servus illam recipiat et Guardianus, qui contrarium permiserit, privetur officio suo.* Et ibidem infra: *Praeterea*

nullo modo habeant in eorum Ecclesiis vel Sacristiis aut alibi cippos aut truncos ordinatos ad offerentium seu donantium pecunias nec capsulas pro eleemosynis Missarum.

Insuper obstare videntur typis traditae Constitutiones editae in Capitulo generali celebrato in eodem Conventu Araeocelitano die 29. Maii 1700 pro Cismontana Familia §: *Ad propositionem num. 1. pag. 30.* ubi haec habentur: *Ad propositionem factam in Discretorio Observantium, an supplicari deberet Sanctissimo, ut dispensare dignetur cum Observantibus in praecepto de retinendo Capsulas in Sacristia pro recipiendis eleemosynis pro Missis, prout insinuari videtur in decretis de celebratione Missar. Diffinitorium Generale (attenta dispositione regulae nostrae cap. 4. ac apostolicarum declarationum illius aliorumque Pontificum Constitutionum, praesertim Nicolai III. Exiit, Clem. V.: Exivi, Pauli VIII.: Exponi nobis, die 30. Martii 1536, Innocentii XI.: Sollicitudo pastoralis, Innocentii XII.: Alias a felicis, nec non Decreti S. Congregationis Consultationibus hujus nostrae Familiae praepositae, approbante Sanctissimo, sub dat. die 4. Junii 1628) declarat ejusmodi Capsulas statui ac professioni Fratrum Minorum de Observantia esse repugnantem et proinde Fratres nostros non comprehendi sub praecepto hujusmodi de retinendis praedictis Capsulis in Sacristiis vel suis Conventibus et si opus fuerit supplicetur Sanctissimo pro confirmatione hujus declarationis per Officiales Familiae.* Harum autem Constitutionum legalitatem impugnat modernus Commissarius Generalis Familiae Cismontanae, autumans eas fuisse efformatas proprio Marte mox defuncti P. Generalis Ordinis, citra consensum Generalis Capituli; sed earum loco hoc aliud ex-

hibuit documentum. In regesto Curiae Aracoelitanae facta ab anno 1700 usque ad annum 1704 fol. 22. num. 7. inter alia sic legitur: *Circa Capsulam pro conservatione eleemosynarum pro Missis celebrandis recipiendarum in Sacristiis omnium Regularium etiam Mendicantium cum amplissimis derogatoriis omnium in contrarium quomodolibet disponentium a S. Congregatione Concilii in novissimis Decretis de celebratione Missarum observari mandatam cum circumstantiis in ea materia dispositis, Discretorium Generale optat, ut supplicetur Sanctissimo pro dispensatione Observantium ab obligatione eas Capsulas retinendi; at Diffinitorium Generale rogat Reverendissimum P. Generalem, ut perpensis perpendendis mandet id fieri et respective supplicari, quod sibi melius in Domino ac Ordini utilius videbitur expedire.*

Ancipites valde sunt Religiosi praefati Ordinis, utram in partem se dent super hujusmodi Capsularum retentione exindeque in varias abierunt interpretationes, cum praejudiciali difformitate regularis Instituti, utpote qui Innocentianam Constitutionem servandam contendunt, Capsulas ad usum revocarunt, caeteri vero, qui super relatis Ordinis Statutis conmittuntur, easdem abjecerunt. Propterea praenominatus Commissarius Generalis ad restituendam in hac parte debitam Regulae uniformitatem reverenter expedit ab EE. VV. declarationem: an sui Religiosi observantes Regulae D. Francisci comprehendantur sub primodicta Constitutione Innocentiana de Capsulis retinendis pro Missis celebrandis?

Eminentissimus Ordinis Protector informare desuper requisitus praeallegatas dispositiones librando, non dubitat hosce Fratres Minores Observantes comprehendendi sub cl. Constitutione

Innocentiana, eo quod illa specificè de Regularibus Mendicantibus loquatur atque praememorata Religionis statuta ex adverso recensita non obstare subdit, attenta speciali eorundem derogatione in eadem Innocentiana contenta, quin et ulterius Eminentissimus Relator allegando Indultum s. m. Gregorii XIII. permittentis usum hujusmodi Capsularum in Sacristiis Fratrum pro asservandis eleemosynis in dies oblati, quod refertur ab Auctore *Orb. Seraph. tom. 3. pag. 382. col. 2. et pag. 446. col. 1.*; censent nulum sese deprehendere inconveniens in earum usu, quoties tamen retineantur cum cautela, in locis non publicis, ne in apparentia offendatur paupertas, sed asserventur in Sacristiis, in locis non apparentibus cum retentione Clavium apud Syndicum apostolicum et superiorem localem respective ad formam Constitutionis Innocentianae, uti latius in ejusdem relatione per manus circumferenda. His ita expensis emergit dubium sapientissime ab EE. VV. resolvendum.

An et quomodo Minores Observantes valeant retinere Capsulas pro Missis celebrandis in casu?

S. C. C. resp.: *Negative.*

Die 7. Julii 1708.

Ad dub.: An Capellano seu Rectori liceat Oratorii publici Capsulas habere in parietibus Oratorii pro eleemosynis recipiendis vel quaestuas peragere per se ipsum et per alios?

S. C. C. resp.: *Affirmative de licentia Ordinarii.*

Die 13. et 27. Junii 1744.

Ad dub.: An eleemosynae manuales Missarum a piis Benefactoribus reponi debeant in Capsula et una Clavis ejusdem Capsulae retineri debeat a Priore Conventus ad formam Capituli

7. Instrumenti diei 2. Decembris 1577 in casu?

S. C. C. resp.: *Affirmative.*

Die 26. Januarii 1760.

5) Conventiones.

Vd.: *Stipendium* (minus etc.; Patronus etc.); t. III. p. II. pag. 183, 184.

Neapolitana.

Num vitio aliquo inficiatur conventio inter Patronum et Capellanos inita, ut isti portionem aliquam stipendii remitterent, quod a Fundatoribus assignatum fuit ultra consuetam eleemosynam manualement?

Conventiones, quae respiciunt eleemosynam Missae celebrandae, aperte reprobatur Tridentinum sess. 22. Decret. de observ. et evit. in celebrat. Missae, ubi Episcopus ita admonet: Atque ut multa paucis comprehendatur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta etc. aliisque hujusmodi, quae a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant. Nam „facere pactionem de Missa celebranda est simonia“ ut ait D. Thomas in 4. sententiar. dist. 25. quaest. 3. art. 2. quaest. I. ad 4. et S. Congr. (in Decretis probante Urbano VIII. anno 1625 supra p. 152 etc. latis super celebratione Missarum) omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta celebrandam committere. Aequè igitur suspecta esse debet conventio inter Patronum et Capellanos super minori percipiendo stipendio Missarum et omnino reprobanda tamquam infecta simoniaca labe et turpi quaestu, nisi justo probatoque titulo niti detegatur.

Duo afferri possunt tituli ad repellendum turpem quaestum. Primum, quod, quibus est commissa celebratio

Missarum perpetuarum, non tenentur nisi ad subministrandam consuetam eleemosynam, si per alios ceu celebrare faciant et tuto possunt percipere pinguius stipendium in fundatione constitutum, ut tradit *Card. Lugo* disput. 21. de Eucharist. sect. 2. n. 30., *Aversa* quaest. 11. de Eucharist. sect. 17., *Franc. Lugo* lib. 5. de Sacram. cap. 12. quaest. 7. num. 13., *Tambur.* Opusc. de Sacrific. Missae lib. 3. cap. 2. §. 5. num. 10., *Enarant.* in rubr. missal. in appon. quaest. 4. n. 10. diffic. 3. Rursus quod ex condonatione celebrantis potest committens retinere partem stipendii, ut summa consentione docent *Homo bon.* Exam. Eccles. part. I. tract. 4. cap. 14. quaest. 191., *Jo. a Cruce* direct. conscient. part. 2. quaest. 2. de Sacrificio. Missae dub. 8. conclus. I., *Faustus* lib. 2. de Eucharist. quaest. 164., *Pasqualiq.* de Sacrific. novae leg. quaest. 975. tom. 2. Quibus ita se habentibus, si Cajetanus Janni Patronus poterat curare celebrationem Missarum cum eleemosyna manuali sibi que stipendium pinguius retinere, si hoc ipsum stipendium retinuit ex condonatione Capellanorum celebrantium, justo quidem titulo niti videtur conventio et a turpi quaestu longe abesse.

Verum haec omnia parum controversiae propositae convenire videntur. Nam tum demum retineri potest assignatum stipendium pro Missis perpetuis et alteri mandari celebratio soluta consueta eleemosyna, cum qui mandat celebrationem sit is, cui commissa est celebratio et assignatum stipendium. Hoc enim assignatur tum intuitu ministerii oblationis Sacrificium intuitu officii Capellani, cui commissa est celebratio. Quare si Capellanus alteri celebrandas Missas comittit, non debet tradere totum stipendium, sed illud, quod debetur pro Ministerio celebrationis et propterea

potest sibi retinere, quod superest, dum hoc ei aquiratur ratione officii Capellani. At Patronus solo fruitur jure nominandi Capellanos, nec potest praecipere stipendium ratione Ministerii, quia Missas non celebrat, nec ratione officii, quia Capellanus non est, cum ei numquam commissa fuerit celebratio vel assignatum stipendium. Nam in utraque fundatione onus Missae quotidianae Capellanis non Patrono imponitur, et illis non huic stipendium relinquatur: scilicet: „a beneficio della Capellania, e per essa de Capellani pro tempore“ et rursus „possano li Capellani pro tempore intestare in testa loro detta annualita, e quella essigere“. Quare Patronus, qui executor tantum est, non potest sibi retinere aliquam portionem stipendii, quod Capellani sequuta nominatione statim acquiritur, ut tradit *Simon de Petris* de interpret. ultim. voluntat. lib. 8. dub. 2. num. 57. et *Pasqualig.* de Sacrific. nov. leg. quaest. 973. per tit. et praecipue num. 2. et 4.

Neque, si Capellani ultro portionem sibi debitam stipendii remiserunt, idcirco Patronus eam percipere valet.

Potest quidem committens retinere stipendium vel ejus partem, si alter gratis celebret vel partem stipendii donet. Secus vero dicendum est „non posse committentes missas ab aliis celebrandas, si interveniat conventio aliqua etiam tacita de relaxanda dicta portione, ut continuetur subministratio Missarum, quae alia non esset continuanda, aut ex aliquo simili motivo, quae reddat necessariam relaxationem partis stipendii tamquam medium ad obtinendas eleemosynas,“ ut iisdem verbis tradit *Pasqualig.* loc. citat. quaest. 975. num. 5. Etenim ubi interponitur conventio cessat liberalis donatio, qua remota nullus subest justus titulus retinendi partem stipendii ad tradita per *Lexana* in sum. verb.

Missam num. 35., *Martin a s. Josepho* in Moral. tom. I. lib. I. tractat. 17. de Eucharist. num. 8., *Leander* de Sacr. tract. 8. disput. 4. num. 8. Hinc in Romana Eleemosynae 23. Augusti 1664 cum quaesitum esset, an Decretum Urbani VIII. locum haberet, „cum Sacerdos, cui Missae celebratio minori cum eleemosyna commissa sit, haud ignorat majorem primo Sacerdoti attributam fuisse ejusque partem ab eo retineri, at nihilominus ipse minori contentus sit, intelligens aliter a dicto primo Sacerdote celebrationem sibi non committendam et proinde vel ipsa minori eleemosyna se cariturum, S. Congregatio respondit: etiam in hoc casu locum habere.“

Dum itaque *Emmus* Archiepiscopus affirmat Cajetanum Patronum nominasse due Sacerdoti citanei per Capellani coll' obligo della Messa quotidiana ubique, e con convenire d'accordo annui ducati 36. all' uno per eleemosyna et annui ducati 40. all' altio per l'altra eleemosyna ricevendosi da detti Capellani estranei tutto il di piu delle sudette limosine brevi manu; jam ex his errumpit illicita conventio, quae licet non praeseferrat expresse, quod donatio partis stipendii facta sit intuitu commissae celebrationis, satis tamen eruitur ex eo quod donatio sit respectiva commissae celebrationi, unde suspicari licet, quod Capellani non fuissent nominati, nisi partem stipendii condonassent, quemadmodum concludit *Pasqualig.* citat. quaest. 975. num. 11.

Haec habui, quae in utramque partem exponerem.

Dignentur EE. VV. decernere: *An sit probanda conventio seu potius sit consulendum SSmo pro absoluteione quoad praeteritum in casu?*

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et

Capellani dimissis Capellaniis consulant conscientiae suae.

Die 26. Novembris 1802.

6) Duo Stip. pro una missa accipi non deb.

Sacerdos obligatus ad celebrandam Missam pro commodo Monialium vel Confratrum non potest aliud stipendium recipere applicando alteri eandem Missam. Sacra Congreg. Concilii in Alexandrina, 18. Martii 1719.

Vd. *Stipendium* (num acceptatio licita sit a Sacerd. etc., a quibus intra etc., *decr. Urb. VIII.* n. 4. et *declarat.* n. 4. et *decr. S. C. C.* diei 13. Maii 1679). *Stipend.* (num acceptatio licita sit a parochis iisdem diebus etc.); *Ritus graec.* (de ritib. observ. graecor. Melchit. §. 10.); *t. III.* p. II. pag. 156 n. IV. p. 165 §.: *Vel.* Generali applicatione unius Sacrificii satisfieri non licet oneri Capellaniae aliisque simul familiae Naro impositis juxta decreta generalia in constit.: *Cum saepe* Urbani VIII. confirmata in const.: *Nuper* Inocent. XII, et declarationes S. Congreg. ad IV. dub. relata. per *Girald.* in jus pontif. t. 3. p. 8969.

(Ex resol. S. C. C. 25. Maji 1816. *Romana.*)

Capellani divisi per hebdomadas ferialibus diebus missas canunt conventuales, diebus festivis et ordinatis in tabella canonici, ex quibus aliqui dubitant utrum missae conventuales onus tale sit, ut pro ea eleemosyna ab aliquo benefactore recipi non liceat. S. Congregatio Concilii censuit non licere.

Die 10. Jan. 1660. *Fulginate.*

(Corresp. de Rome. Ed. II. die 4. Juillet 1850. N. 33.)

Hydruntina.

Dubio, an capitulum et canonici diebus, quibus alternis vicibus ex ordinatione ecclesiae tenentur celebrare

missam conventualem, teneantur etiam applicare pro populo et benefactoribus nec eleemosynam pro illa recipere et an idem statuendum stante consuetudine in contrarium non applicandi et eleemosynam recipiendi? S. C. C. resp.: Ad primum: responsum affirmativum, et non posse recipere eleemosynam. Ad secundum: ut ad primum, non obstante asserta consuetudine.

Die 1. Mart. 1692.

(Ibid. p. 10.)

Pampilonea.

Parochi et beneficiati loci de Echalar missam, quam popularem vocant et quam celebrare et applicare tenentur quotidie pro populo, celebrant et applicant, accepto stipendio, pro defunctis aliisque satisfaciendis oneribus. Hanc duplicem unius missae applicationem et stipendii receptionem illicitam credens promotor fiscalis curiae episcopalis Pampilonen. eosdem parochum et beneficiatos ad iudicium vocavit coram officiali episcopali, qui per sententiam declaravit, missam popularem applicandam esse quotidie pro populo, illamque non posse confundi cum missis funerum, exequiarum, anniversariorum et similium, sed singulas fore seorsim et separatim celebrandas; provocarunt ab hujusmodi sententia parochus et beneficiati ad Rotam; verum remissa causa ab auditore Sanctissimi ad hanc sacram congregationem, audito episcopo omnia comprobante, exquiritur ab EE. VV.: *An parochus et beneficiati loci de Echalar possint pro missa populari recipere stipendium illamque applicare pro defunctis aliisque satisfaciendis oneribus?*

Sacra Congregatio die 18. Novembris 1702 respondit: Negative, et censuit danda esse decreta — ut in lib. 52. Decr. pag. 405.

Ad dub.: An Sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione Beneficii seu capellae, Legati aut Salarii, possint etiam manualementem eleemosynam pro missis votivis aut Def. recipere et unico missae sacrificio utrique oneri satisfacere? S. C. resp.: Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione Beneficii etc., si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.

Die 23. Nov. 1697.

Nulli Sacerdoti licitum esse, aliam eleemosynam accipere praeter illam, quam acceperit ab eo, pro quo missam offerre tenetur ac proinde prohibetur, ne dupl. Stipend. pro unica missa recipiatur. S. C. C. 25. Jan. 1659. Aprob. Alex. VII. 29. ejusd. mensis.

Ad dub.: An Sacerdos, qui unum Stipendium accipit pro celebratione missae, v. g. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud Stipendium pro celebratione missae, v. g. pro infirmo, et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa utrique obligationi satisfacere, applicando pro defuncto satisfactorium et pro infirmo impetratorium? S. C. C. resp.:

Non posse satisfacere. Die 13. Dec. 1659.

Alex. VII. damnavit sequ. propositiones:

1. Duplicatum Stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decr. Urb. VIII.

2. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione etiam juramento

confirmata danti Stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Romae die 14. Sept. 1665.

(Bull. mag. append. ad tom. VI. p. 1. Ed. Luxemb. 1727.)

7) Integra stip. solvenda sunt.

Vd. *Stipendia* (num. accept. licita sit decr. Urbani VIII., Alex. VIII., Innocent. XII., pro missis manualibus; pro missis fundatis.)

8) Liber, in quo describ. Stipend. missar.

Vd. *Missa* (descriptio); *Tabella missar. etc.*; *Stipend.* (num. acceptatio etc. et decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679; decr. Innocent. XII.), *Visit. de missae celebr.*

9) Majora Stip. quam ab Episcopo taxata.

Episcopus non potest prohibere laicis, ne pinguis stipendium taxa solvant sacerdotibus missam celebrantibus et ne iidem Sacerdotes illud accipere possint etiam a sponte dantibus. S. C. C. 16. Jan. 1749.

Ad dub. An sacerdotibus comprehensis in indulto, de quo agitur, prohibitum sit recipere pro prima missa diei Commemorationis omnium fidelium defunctorum eleemosynam majorem ea quae a taxa synodali seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit, quamvis sponte oblatam in casu? S. C. resp.: Affirmative.

Die 2. Martii 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2277.)

Vd. *Missa in comm. omn. fid. etc.* (t. II p. 108 etc.)

Decretum S. C. Indulgentiis et sacris reliquiis praepositae.

Cum ex veteri more et laudabili Ecclesiae instituto die secunda novembris omnium defunctorum memoria recoli, eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et Ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili

sacrosanctae Missae sacrificio juvari soleant, SSmus Dnus Noster Clemens ex paterna sua caritate erga omnes fideles, tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et caritate Dei nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, de inexhausto catholicae ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius e Purgatorii poenis liberatae ad aeternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositorum universali hoc decreto perpetuis temporibus valituro benigne concedit ut Missa die praedicta Commemorationis Defunctorum a quocumque Sacerdote saeculari vel cujuslibet Ordinis et Instituti regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata, decernendo tamen ut non nisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta Missa licet privilegiata accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Dat. die 19. Maii 1761.

P. Card. Antonellus, Praef.

J. de Comitibus S. C. Ind. Secr.

(Anal. J. P. 1857. p. 1693.)

10) Majora pro Missa in certo altari celebranda.

Celebratio Missae ad certum Altare diebus festis majorem exigit eleemosynam, *Tambur. opusc. de Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 35. et seq., Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quaest. 913. num. 2.*

(Ex resol. S. C. C. die 17. Sept. 1791. *Spoletana.*)

Celebratio ad certam Ecclesiam vel certum Altare illudque dissitum ma-

jorem exigit eleemosynam. *Tamburrin. opus de Sacrific. Miss. lib. 3. cons. 1. §. 3. num. 35. et seq., Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quaest. 913. num. 2.* (Ex resol. S. C. C. diei 12. Maji 1792. *Novarien.*)

Habenda est ratio de celebratione volita in certa Ecclesia et sub praefixis diebus, quae idcirco ratione majoris incommodi majorem etiam exigit eleemosynam; *Tamburrin. de Sacrific. Missae lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 35., et seq., Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quaest. 913. num. 2., et Sac. Congregatio in Aquen. Reductionis 19. Decembris 1772.*

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Maji 1793. *Civit. Plebis.*)

Pro Missis perpetuis et ad certum designatae Ecclesiae Cathedralis Altare celebrandis majus requiritur stipendium, *Tamburrin. de Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 35. et 109., Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quaest. 913. num. 2., et Sacra haec Congregatio in Aquen. Reductionis 19. Decembris 1772.*

(Ex resol. S. C. C. diei 5. Apr. 1794. *Forosembron.*)

In dissita Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes et ad designatum Altare SS. Conceptionis celebrantes sacerdotes majus ratione majoris incommodi merentur stipendium, *Tamburrin. de Sacrific. Missae lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 35. et seq., Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quaest. 913. num. 2.* (Ex resol. S. C. C. diei 22. Aug. 1795. *Romana.*)

11) Minora Stip. quam ab Episcopo taxata fuerunt.

Vd. *Stipend.* (taxatio); *Stipend.* (taxatio ab Ep.; decr. *Alexanen.*; pro missis manual.; pro missis fundatis.)

Ad dubium.: An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam

juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneantur missas illas ab offerente praescriptas celebrare? S. C. C. resp.: *Teneri.* Die 23. Nov. 1697.

Episcopus potest eleemosynam manualement statuere, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate. S. C. C. 26. Jul. 1689.

(Anal. J. P. 1866. p. 1018.)

Eleemosyna pro unaquaque Missa manuali non potest tradi minor uno Julio, sic expresse statutum est de mandato Clementis XI. die 23. Decembris 1706. ut patet in ejus Bullario, Edicto XII. et sic etiam statuit Sacra Congregat. Concil. 13. April 1726. Unde Episcopus statuere potest, ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata. Sacra Congregat. Concil. in S. Severini Eleemosynae Missarum 16. Julii 1697. et in Alexanen. 26. Januar. 1743. Ed id habetur etiam in Notificatione super Eleemosyna Missa edita ab Eminentissimo Card. Lambertino, postea Summo Pontifice Benedicto XIV.

12) Pro missis anticipatis.

Die 14. Decembris 1680.

De anticipata applicatione missarum explodenda. In regesto literarum Sacrae Congregationis (lib. 9., p. 259.) reperitur epistola D. Nuntio Apostolico Hispaniarum directa tenoris sequentis:

Perillustris et Illmus D. Cardinalis Hispalensis superioribus diebus SSmo D. N. literis significavit in sua dioecesi atque adeo in universa Hispania viginti abhinc annis novam consuetudinem recentiorum aliquod theologorum opinione nixam sensim receptam in dies magis invaluisse, ut sacerdotes missam celebrantes ejus valorem generatim applicent his, qui

postea missae celebrationem postulari ac pro ea eleemosynam praebituri sunt, tametsi, antequam missae sacrificium perageretur, neque a Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam praestitissent. Quam rem ut Sanctitas Sua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro materiae gravitate examinandam rejecisset, in ipsa Congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quae ex ejusdem Congregationis sententia hujusmodi consuetudinem, tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis ac offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiae more nimium abhorrentem exposuit ac improbavit atque Ampl. Tuae literas dari, quod facimus, mandavit, ut omnibus ipsius regni archiepiscopis atque episcopis, in quorum dioecesibus hujusmodi applicatio in usum inducta fuerit, per literas aut alias scripto injungat, ut talem usum aboleant ac prohibeant, excommunicationis etiam atque aliis quas opportunas et necessarias existimaverint poenis. Idque praecipiat generalibus et capitibus ordinum, quos in ipsis regnis nunc noverit commorari, ut scilicet et ipsi regularibus sibi subditis talibus applicationibus eisdem poenis positis interdiciunt. Quae omnia pro tua pietate et SSmi D. N. jussis obsequendi studio Amplitudinem tuam sedulo effecturam sperantes, omnipotentem rogamus Deum, ut eam quotidie coelestis suae gratiae donis velit auctiorem. Romae XV. Novembris 1605.

Sed quoniam dubitatur nonnullos adhuc in priori opinione persistere, ex eo fortasse, quod praemissa resolutio non innotescat, quaeritur:

An expediat dictum decretum confirmare et publicare?

Sacra Congregatio Concilii censuit: *Affirmative.*

Volunt Cardinalis Casanate.

De anticipata missarum applicatione: An expediat decretum Sacrae Congregationis alias editum sub die 15. novembris 1605 generaliter confirmare ac publicare.

Affirmative per rationes adductas in eodem decreto ac literis desuper expeditis jussu S. M. Pauli V., quae ihodie per extensum proponuntur ac impressae habentur apud Pasqualig. de Sacrif. tom. I. quaest. 168. n. 3. vers. Tenor autem: Et quamvis contraria opinio a pluribus Theologis fuerit approbata ut refert Pasqualig. ibidem §. 1, attamen receptior ac communior est sententia negativa, ut apud eundem Pasqualig. n. 2. et nefas hodie foret de ista dubitare, cum extet sanctio S. Cong. et Papae, immo etiam optima ratio quia omnis intentio in sacrificiis debet esse certa et determinata, non vaga et suspensa in futurum: ulterius indecentia patet, cum hujusmodi applicatio pro futuris benefactoribus aequiparetur apothecae, in qua conficiuntur res venales pro futuris emptoribus qui ad apothecam accedent.

Conferunt quae cumulat idem Pasqualig. quaest. 164 et 166 ubi n. 3. applicationem collatam in alienam intentionem limitat, si aliena intentio antecedit, concomitetur oblationem sacrificii, non autem si subsequatur applicationem. Ideoque omnino interdicendi sunt thesauri spirituales, qui conficiuntur ex numero missarum, et applicatione collata in alienam intentionem de futuro, quod etiam Theologi regulares detestantur.

(Anal. J. P. 1864 p. 1004.)

13) Pro missa convent.

Herbipolen.

Episcopus haec exponit: „Ex quo vi conventionis inter SSimum Dominum

Pium VII. Summum Pontificem et majestatem suam Maximilianum Josephum Bavariae Regem initae Capitulum Ecclesiae cathedralis Herbipolensis noviter erectum est, usus hucusque erat, ut Dignitarii et Canonici Missam conventualem quotidianam legerent, praebendati autem sive Vicarii munere hebdomadarii in choro fungerentur. Cum autem nunc postuletur, ut etiam Vicarii sive praebendati in turnum celebrandae Missae conventualis intrare debeant, humillime rogo, ut clementissime mihi permittatur sequentes duas quaestiones Eminentis Vestris omni qua par est reverentia ac devotione decidendas submittere.

1. *An eodem modo, quo Dignitarii et Canonici, etiam praebendati sive Vicarii teneantur ad celebrandam Missam conventualem? Et si forsitan affirmative;*

2. *An tunc etiam juxta eundem turnum Dignitarii et Canonici, sicuti hucusque Vicarii sive praebendati, munere hebdomadarii in choro fungi teneantur?*

„Addo, quod redditus annui sint sequentes. Pro utroque Dignitario Praeposito et Decano 2000 florenorum, pro quolibet e quatuor Canonicis senioribus 1600 florenorum. Pro quatuor Canonicorum juniorum quolibet 1400 florenorum, pro quolibet e tribus Vicariis senioribus 800 florenorum, et pro quolibet e tribus Vicariis junioribus 600 florenorum. Addo porro quod tam ambobus Dignitariis quam quatuor Canonicis senioribus, sicut et tribus Vicariis sive praebendatis senioribus habitatio assignata sit.“

Scriptum fuit eidem Episcopo ut audito Capitulo ac Vicariis referret, an praeter praebendas adsit etiam communis massa distributionum quotidianarum et eorundem portio assignata sit etiam pro cantu quotidiano Missae conventualis ac responsum hujusmodi